

HELPERICVS MONACHVS S. GALLI.



**H**elpericus natione Germanus diligenter operam literis nauauit, atq; ardore earūdem S. Galli cœnobium ordinis Benedictini ingressus est. Ibi adeò sub doctissimis præceptoribus profecit, ut philosophus, poeta, & Astronomus clarissimus factus fuerit. Erat is acuto ingenio, & singulari eloquentia præditus. Itaque carmine & prosa opuscula quædam conscripsit: utpote de computo Ecclesiastico, atq; de arte Musica, & alia, quibus nominis sui immortalitatē nactus est. claruit is sub Heinrico 3. Imperatore, anno millesimo sexagesimo nono. Trit. in script. Ecclesiast.